

**Dissertationem inauguralem de principio salino / ... subjicit ... Jacobus Reinboldus Spielmann.**

**Contributors**

Spielmann, Jacob Reinbold, 1722-1783.  
Université de Strasbourg.

**Publication/Creation**

Argentorati : Typis Johannis Henrici Heitzii, [1748]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/afsxmmgz>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



8

DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
DE  
**PRINCIPIO**  
**SALINO**  
GRATIOSISSIMI  
MEDICORUM ORDINIS  
JUSSU

PRO  
*SUMMOS IN ARTE HONORES*  
*CAPESSENDI*

**LICENTIA**

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
*D. 22. APRILIS MDCCXLVIII.*

**JACOBUS REINBOLDUS**  
**SPIELMANN,**  
**ARGENTINENSIS.**

---

*ARGENTORATI,*

TYPIS JOHANNIS HENRICI HEITZII, UNIV. TYPOGR.



# PLATO IN TIMÆO.

Edit. Stephan. pag. 60.

**Τ**ὸ δυνάμεσον ἐν ταῖς κοινωνίαις ταῖς περὶ τὴν τῆς σώματος  
ἀσπασιν, ἁλῶν κατὰ λόγον νόμον θεωριλὲς σῶμα ἐγένετο.

INTERPRET. MARSIL. FICINO.

Quotidiano vero victui commo-  
diffimum legitime, Sal DEO  
Amicum corpus fit.





## PRÆFATIO.

**A**ccipe B. L! quæ de PRINCIPIO SALINO, *Tibi* offerre audeo. Plura in illis experimenta ab aliis mutuata sunt, quos semper citare superfluum duxi. Noti sunt STAHLII, POTTII & GEORFROI, circa Sales labores, quibus uti nullus dubitavi; potius me largissimum ex illis cepisse fructum, gratissimè fateor. Utinam! placuisset Summis his Viris, egregia sua circa Salium


A 2

Conver-



Conversiones & Inversiones inventa, publici juris facere: meliora forsan circa eorum resolutionem & originem, tradere potuissem, circa quarum à me commemoratam historiam, quædam remanere dubia, quædam esse obscura, lubentissime fateor. Num certiora, num clariora proferre liceat? nostro seculo, quo vix vestibulum naturæ introspicere, intimiores ejus recessus, non nisi per rimas conspiciere licet: num aliorum conjecturis, mea præstent cogitata? num inde aliquid utilitatis in Historiam naturalem aut rem Civilem redundet? ipse sepositis, erudito indignis præjudicatis opinionibus, decidas & in universi tenebris incertis pedibus versanti, si alicubi titubaverit ignoscas, eo maximè Tuam merituro indulgentiam, quod imbecillitatis suæ optimè conscius, ab aliis detecta veriora & minus dubitata, suis substituendi aviditate flagret. Vale!





§. I.



Ummo sanè jure, de Salibus doctri-  
na, ab omni ævo ad nostra usque  
tempora, præcipuum ad solidam  
Corporum Naturalium cognitio-  
nem aspirantium, erat studium.  
Sive enim magnam quam nobis  
quod à Fossilibus nomen habet regnum, offert  
Salium consideres quantitatem; sive quæcunque,  
quæ laudabilis Historiæ Naturalis Conditorum in-  
dustria, reliquis adscripsit ordinibus corpora, vix  
non semper Salini quid, præbere gustui, tandem-  
que quocunque eorum nexus tollatur modo, ve-  
rum largiri Salem, attento observes animo; sive  
felicissimæ Naturæ imitatricis Chemiæ ope, quot  
& quantas Salia omnis generis mutationes, indu-  
cant quibus applicantur subjectis, & inde minime  
à veritate abhorrentem, eadem quæ in Laborato-  
rio fieri videmus, et in Naturæ contingere posse  
officina, philosophica volvas mente; sive deni-  
que, quam late ad omnem rem civilem pateat Sa-  
lium necessitas, quippe quibus paucae mechanicæ  
artes, artificum nullus, carere potest, quotidianis

Phyfico-  
rum circa  
Salia me-  
rita.



docearis exemplis, nullus dubitabis, Physici encomio indignum esse, quotumquemque Halotechniæ rudem.

§. II.

Medico-  
rum circa  
Salia me-  
rita.

In Physicorum Scholis enutriti, nunquam pulcherrimæ Scientiæ præcepta obliviscentes Medici, eo majore se ardore, Salium inquisitioni toti dedêrunt, quo certius est, diversa Salia, diversos in corpus humanum edere effectus, quorum attentam observationem omninò è re sua esse, rectissimè judicabant & inde pulcherrima deducebant præcepta. Sic HIPPOCRATES (a) *Salsa inter se valde differre, (b) Salsas aquas in totum ut bibantur, improbandas esse, (c) Salsa alvum & urinam ciere, (d) causo laborantibus Salsa vitanda esse* perhibet; nec illum aquas quasdam calcarii quid vehere & hinc sanitati obesse latuisse, è jam citato de *Aere, locis & aquis* constat libello. Principis Medicinæ vestigia & circa hoc subjectum terere, nulli dubitarunt, illum secuti Artis Doctores. Quæ DIOSCORIDES circa Salium præstiterit doctrinam ejus de *Materia Medica* superstites docent libri. CELSUS (e) *Salsamentum omne nec non acida mali succi & ad acrium referenda esse classem*, docet. Salium Virtutem

---

(a) de Victus ratione L. II. (b) de Aere; locis & aquis  
(c) de Affectionibus (d) de Victu in morbis acutis.  
(e) de Medicina L. XI. Cap. XXI & XXII.



tem incidentem (f) Fibras roborantem (g) quorundam refrigerantem (h) catharticam (i) adstringentem (k) rodentem (l) pulcherrime exponit. GALENI de diversis Salibus, egregia dogmata, in *Mundellæ Theatro Galeni* videre est, nec ipsum aquas sic dictas latuisse minerales, patet ex ejus *de Arte curativa ad Glauconem* (m) tractatu; quarum juxta varia quæ continent Salia, varios egregie indicat, in corpus humanum effectus AETIUS (n). Reliquorum Veterum circa Salia in thermis aut acidulis latitantia monita, vide in JUNTARUM *de Balneis collectione* (o). Hæc sufficiant, pro Veterum Medicorum circa Salia industria, ostendenda: hinc propius ad eorum accedamus considerationem, in qua magis de ipsorum structura & ortu, quam multifariis solliciti erimus usibus.

### §. III.

Sal, cujus nomen optime à Græcorum  $\alpha\lambda\varsigma$ , hoc autem ab ἡ  $\alpha\lambda\varsigma$ , quo mare denotant, quia Sal communis, Salium notissimus, a Veteribus, maxime ex aquis marinis parabatur, testante PLINIO (p), derivatur; est corpus naturale, in aqua liquefcens, eam non tingens, & hac quacunque ex causa, iterum liberatum, siccam recuperans formam. Observatis hisce

Salis definitio.

Salis

---

(f) Cap. XXIII. (g) Cap. XXIV. (h) Cap. XXVII. (i) Cap. XXIX. (k) Cap. XXX. (l) Cap. XXXII. (m) L. I. Cap. IX. (n) Cap. CLXVI. (o) quæ Venetiis anno 1553. prodiit. (p) Hist. Nat. L. XXXI. Cap. VII.



Salis notis, subjectum nostrum, facile ab omnibus aliis distinguere poteris naturæ & artis Corporibus. Differt à quocunque naturæ producto, in eo, quod ab Aqua solvi possit, nec illam tingat; differt ab artis extractis gummosis, emulsionibus &c. quod itidem aquæ pelluciditatem non infringat & aqua sublata, siccam recuperet formam.

Saporem, quo omnia Salia gaudere, quidem non nego, in definitione lubens omisi, cum ex saporis defectu, ad Salis absentiam neutiquam concludere liceat. Sal sanè, plurima dilutus aqua, nulum imprimit linguæ saporis sensum, cum tamen revera in lixivio adsit & evaporata superflua aqua, in conspectum veniat: cum Salia præterea omnia, datis in definitione notis, distingui possint, saporis ceu superflui, in definitione mentionem facere, vetant Logici.

#### §. IV.

Mirandum utique est, et circa hujus corporis naturalis Definitionem, tot erroribus errasse Viros, quorum tam in Physica quam in Chemia industriam & merita, nobiscum & postera venerabitur ætas; dum interim & in ipsis humanam dolebit imbecillitatem. Quidam multa de Salibus tradidere, imò, de Salibus doctrinæ integra superstruxere Systemata, parum solliciti, de generali Salis idea certis determinanda limitibus: horum in censum veniunt PLINIUS, de le BOE SYLVIUS &c.  
 Alii



Alii mancas, erroneas pluribusque figmentis  
foedatas, reliquere subjecti nostri definitiones.

VIEUSSEN. (q) Salem dicit: *corpus simplex, sensibile* Cartesia-  
& *durum, è pluribus particulis insensibilibus, longis, re-* norum.  
*ctis, rigidis, acutis, simulque unitis conflatum, è quo mix-*  
*tum immediatè componitur.* Demonstraturus sum

infra, Salem corpus mixtum esse, hinc male sim-  
plex appellatur, nec mixtum componere potest:  
minimas autem omnium quorumcunque corpo-  
rum partes, insensibiles, longas, rectas esse, ex  
idea, quam de Corpore in genere habemus sequi-  
tur, particularum denique rigiditas, quam non-  
nisi ex effectu colligere potuit autor, omni com-  
petit solido, acuta porro esse Salem componen-  
tia corpuscula, unde VIEUSSENIUS probabit & con-  
tra LANGELOTTUM & GULIELMINUM (r) defendet?  
in hoc seculi sui genium secutus.

Vix sanè comprehendere possum, quid factum sit,  
ut tot & tantos Viros, inanis ille figuras minimarum  
corporum particularum, quas examinare nunquam  
datum est, nec dabitur forsàn (s) describendi ceperit  
pruritus; non majorem utique ARISTOTELICORUM  
qualitates occultæ & quæ alia habuerunt ignoran-  
tia asyla, Historiæ Naturalis & Medicinæ pro-  
gressui injecere moram, quam recentiorum in  
B fingen-

---

(q) *de remotis & proximis mixti principis Cap. XX.*

(r) GULIELMIN. Op. T. II. p. 82. (s) Confer. HEU-  
CHER *de Mechanicis non Mechanicis* Ejus Operum T.  
II, insert. §. XII.



figenda minimarum particularum figura, infelix studium, ubi excogitata quacunq̃ aliquibus phænomenis explicandis idonea visâ corpusculorum figura, corporis compositionem detectam esse, contra ipsissimum egregii Præceptoris monitum (t) sibi & aliis persuadebant, & quieti ab ejus ulteriore desistebant examine, imò inde falsissima de ejus qualitatibus & in corpus humanum effectibus struxere præcepta.

Vide sis! HOFFMANNI de *Generatione Salium* Dissertationem, quam totus quantus tunc CARTESII assecla conscripsit; quot ea scatet figmentis! quam jejune medicos recenset, Salium usus! quanto veriora! quanto sanitati humanæ conservandæ & restituendæ accommodatiora, posteriora ejus, nullo die moritura, quoque circa hanc materiam docent scripta, quæ solam audiens naturam, deposito omni sectæ studio concinnavit.

§. V.

Alchymicorum.

Nec Cartesianis meliora circa Salis definitionem tradidere, qui omnem abjurarunt claritatem, Alchymici. RULANDUS (u) *Salem* appellat *principium terreum, cum virtute terminante, coagulante & sic etiam conservante*, quid sub *vi terminante* intelligat, ego hariolari nequeo, nisi Salem, lapidis compositionem terminare i. e. planè absolute

---

(t) Ren. DES CARTES *Princip. Philos. P. IV. §. 204.*  
 (u) *Lexic. Alchym.*



vere velit, quod num præstet ignoro ; *coagulan-*  
*tis* virtutis, omnia fanè Salia præter Vitriolica ex  
 pertia sunt ; Vitriola denique, Sal communis  
 & Salia vegetabilium, adeo non corpora conser-  
 vant, ut cum illis mixta, ipsa in putredinem abe-  
 ant. Magis commiseratione quam refutatione di-  
 gna est, Idoli Alchymicorum THEOPHRASTI PA-  
 RACELSI Salium descriptio (x) qui, *illa, nec metalla,*  
*nec gemmas, nec lapides esse; quæ faciant ad usus ejusmodi,*  
*ad quos nec metalla, nec gemma, nec lapides quicquam*  
*profunt & conferunt* dicit. Nolo B. L. & mihi tæ-  
 dium excitare varias porro Salium definitiones re-  
 censendo; liceat solummodo adhuc notare, LIN-  
 NÆUM, cui tot de Vegetabilibus præcipue debet  
 doctrina & in hoc Mineralogiæ subjecto graviter  
 lapsus esse, dum Salibus; lapidem Suillum, spa-  
 tum crystallinum & omnis generis gemmas ad-  
 scribit (y) quomodo hæc in aqua dissolverit &  
 quem inde gustaverit saporem, ego fanè divinare  
 nequeo.

## §. VI.

Quotumquemque quem nobis offert natura Quid sit  
 Salem, è duabus præcipue partibus, una fluida, princi-  
 sapida, acida, volatili, quam *Spiritum* seu *Acidum* <sup>pium Sa-</sup>  
 appellant, altera terrestri, insipida, fixa constare, <sup>linum?</sup>  
 quotidianis edocemur Chemicorum experimen-  
 B 2 tis.

---

(x) de Mineral. Tract. I. (y) System. Natur. Regn. lapid.  
 Class. II.



tis. Cum Sal spiritu planè orbatùs, id esse cesset quod antea fuit, nec nisi reddito Spiritu, in qualis antea fuit redeat Salem, Spiritus seu acidum rationem formæ salinæ continet & hinc optime **PRINCIPIUM SALINUM** appellatur.

Differt hæc de principio Salino notio, a communi illa, quæ à PARACELSO in Chemiam recepta est; docebant enim Salem corporum omnium principium esse; sed quis quæso, Salem ulterius dividi non posse, sub hodierna Chemiæ luce asserere audebit? & quot habemus corpora è quibus ne micam Salis extrahere datur? nemo igitur mihi vitio vertet, quod termino cui falsa tribuebatur idea, ad indicandum verum quid, utar.

## §. VII.

Principii  
Salini  
species,

Principium Salinum, non in omnibus Salibus idem esse, sed diversa Salia, diversos largiri Spiritus, itidem Chemia docuit. Hæc differentia acida, ad quatuor reduci possunt genera, quæ singula, ab illo subjecto è quo sæpissime obtinentur, denominant Auctores, sunt illa, *Acidum Vitrioli, Nitri, Salis communis & Vegetabilium*: quod ultimum, cum nullibi purius quam in Aceto reperiatur; de illo locuturus, hoc semper intelligam. Principii Salini itaque tradituri historiam, videamus 1) in quibus omnia convenient acidorum genera; inde patebit subjecti nostri compositio & essentia 2) quibus à se invicem eadem differant: inde



inde Principii alterationes, pro diversis constituendis speciebus, determinationes & harum ex uno fonte ortum explicare dabitur 3) *quos in Corpus Humanum salutare edant effectus.* Unde Medici eorum sequentur usus.

### §. VIII.

Acida, cum aliis quibuscunque mixta corporibus, ficcum cum eis ut plurimum sistunt crementum. *Acidum Vitricolicum* quantum hactenus novimus omnia quæ solvit, sicca reddit corpora; *Acidum Nitri & Salis* eundem effectum edunt, si amborum cum ferro & cupro & ultimo cum stanno, zinco, antimonio & auripigmento excipias coalitum, sed licet tunc non penitus sicca evadant, tamen spissas formant massas PORT.(2). Mixtum ex acido Salis & cupro *Gummi* appellatur; eodem monente (aa) *Acidum Salis* cum ferro in *Salem* viridem degenerat, qui non nisi aëri expositus liquefcit. Nec quenquam Chemicorum latet, solutiones dictorum reliquas, sub forma fluida apparentes, ob medium inter sicca & liquida habitum mox butyrorum, mox magmatum venire nomine. *Acidum Vegetabile* etiam plura quæ dissolvit corpora, in ficcam redigit formam, imo cum ferro & cupro, cum quibus *acidum Salis & Nitri* in solidum corpus abire negant, in *Crystallos* cogit; quæ autem sicca reddere nequit, vix

Ejus ad  
ficciam  
nisus.

B 3

non

---

(2) *de Sale* p. 55. (aa) *ibid.* p. 58.



non omnia certissime spissat. Liceat, igitur pro demonstrata assumere hanc propositionem.

*Principium Salinum ad solidam inclinat consistentiam, eamque corporibus cum quibus neſtitur largitur; quæ ejus proprietas variis quidem causis imminui, tolli vero nequit.*

§. IX.

Ejus terra.

Acidum Vitriolicum cum oleo quodam teneriori destillatum, repetito labore totum in terram vertitur (bb). HOMBERGIUS (cc) uncias quatuor sulphuris in libris sex Olei fœniculi dissolvit, „ è solutione lenissime per retortam destillata, ob-  
„ tinuit Olei limpidi circiter libras quatuor, Spi-  
„ ritus Vitrioli unicas quatuor, quas Oleum cras-  
„ sius, rubrum ferè resinofum sequebatur, resi-  
„ duum nigrum, spongiosum, pluribus pertusum  
„ foraminulis, splendens, ficcum, uncias duas  
„ cum semisse ponderabat, hoc vehementissimo  
„ dioptrico ursum igne, sub copioso fumo, pon-  
„ deris plus quam dimidium amisit, hoc semper  
„ nigrum, splendens, foliaceum mediante Bora-  
„ ce in gryseo-brunum confluebat Vitrum. Hanc  
terram ex Acido Vitriolico separatam fuisse docet  
STAHL (dd). Post destillationem Acidi Vitrioli  
vinosi remanentem terram maxima ex parte Aci-  
do

(bb) Buncfel Chymische Anmerck. Cap. IX. pag. 94.

(cc) Acad. sc. 1703. (dd) vom Schwefel. p. 368.



do Vitriolico adscribendam esse, testatur POTT. (ee), Si Sulphuris partes duæ cum Cinerum clavellatorum partibus tribus liquantur & fufis insperguntur Carbones, in Vitrum abeunt.

Si Sulphur, & Nitrum accenduntur, erumpit aliquid terrei, visibilis fumi forma, quod etiam apte dispositis receptaculis, capi atque colligi potest (ff). Acidum nitri cum alcohole digestum & destillatum relinquit terram nigram splendentem, testante POTT. (gg) quæ cum calcinatione iterum alba evadat, & hic vera tradidit STAHL (hh). Aqua fortis cum oleo essentiali mixta observante HOFFMANNO (ii) copiosam largitur resinam neutiquam vero Salinam. Ad præsentem scopum non satis exacte descriptum experimentum repetens, sequentia observavi circa illud phænomena: Olei Therebintinæ uncias duabas superfudi Aquæ fortis præcipitatæ Uncias quatuor: nulla inde observari dabatur mutatio, sed pellucidum Oleum limpida supernatabat aquæ forti; instituta destillatione, color sensim sensimque ad nigredinem vergebat; postquam uncia semis circiter liquoris aciduli transtillavit, attollebatur eximie nigricans, spumosa massa, qua sedata, Igne aucto cum Oleo prius limpidissimo & fluidissimo, tandem rubro, valde

---

(ee) *Exercit. Chym.* p. 166 & 178. (ff) STAHL *Observ. & Animadvers.* §. 91. (gg) *l. c.* 207. (hh) STAHL *fund. Chem.* C. III, §. 32. (ii) *Observ. Chym. L. I. Observ. XV.*



valde tenaci, prodierunt adhuc unciae tres liquoris sensim acidioris, sed ne ultima quidem transtillantis liquoris gutta ad pristinam Aquæ fortis accedebat aciditatem; residua terra insipida, splendens, spumosa unciam unam ponderans, fortissimo Igne fusa, copiosos edebat fumos, seque Hassiaco subduxit crucibulo. Acidum Nitri concentratissimum cum oleis variis essentialibus corpus nigrum spissum aut spissescens constituere, id est in terreum quid abire, docent HOFFMANN, (kk) BOERHAVE (ll) & GEOFFROI (mm).

## §. X.

Testantur AGRICOLA & HOFFMANNUS terreum quoddam cortinæ in qua inspissatur Salis communis muria, adhærere fundo. Nec ignotum est, Salem communem crebriore solutione & crystallisatione totum in terram fatiscere. His sub laboribus acidi Salis portionem in terram reduci, nec hunc effectum cum PORTIO (pp) unice Volatilitati acidi adscribi posse, patet ex eo, quod tam levi caloris gradu, qualis ad muriæ ebullitionem sufficit, spiritus acidus à Sale vix expelli possit: & ipse Celeberrimus Vir (qq) concedit, terram strui lignorum in ædibus sic dictis gradatoriis muriam perco-

---

(kk) l. c. Obs. X. (ll) Elem. Chem. P. I. de Igne producto miscela liquidorum frigidorum. (mm) Acad. Reg. sc. 1736. (nn) de re Metall. L. XII. p. 447. (oo) l. c. L. II. Obs. XVIII, (pp) de Sale communi p. 9. (qq) l. c. p. 14.



percolantium adhærentem non meré aquæ Salinæ  
fordibus , sed & terræ Salis fatuæ redditæ , origi-  
nem debere: constat autem non nisi athmosphæ-  
rico calere calore dictas ædes , quem ad sepa-  
rationem Acidi sufficere, nemo cogitabit. Mi-  
randum utique est , quod cum Alcohole aut  
Oleis destillatis, quæ essentialia Chemici appel-  
lant, tractatum acidum Salis non instar acidi  
vitriolici & nitrosi resolvatur & in terram insipi-  
dam & aquam vertatur, nec spuma in illorum  
diacrisi, artificii tædiosissima, circa hujus cum oleo-  
sis destillationem ulla observetur. Terram illam  
quæ in iteratis Mercurii dulcis sublimationibus  
semper remanet, acido Salis adscribendam esse,  
optime judicat STAHL. (rr) id quod contra DIETE-  
RICH. illam (ss) particulis terreis a mortario & pi-  
stillo abrafis, adscribentem, & ANONYMUM pro mar-  
tiali judicantem, alius ANONYMUS egregie demon-  
strat (tt); in eo peccans, quod „eam pro terra Salis  
„ communis, ob debilitatum crebriore sublimatio-  
„ ne acidum è mercurio corrosivo secedente habeat:  
mercurius enim sublimatus nonnisi acidum Salis  
continet, remanente sub præparatione terra Salis,  
sub fæcum forma (vv).

Acetum acerrimum si putrefit, magnam copiam  
C portio-

(rr) *Spec. Bech. P. I. S. II. Membr. VI. Thes. VI. n. 28.*

(ss) *Commerc. Noric. 1737. (tt) ibid. 1738. (vv)*

TACH. *Hippocr. Chym. C. XXIV. L'EMERY Cours  
de Chymie p. m. 217.*



portionis terrestris dimittit, vappa supernatante planè insipida. Hanc non merum tartarum, partibus mucilaginosi mixtum esse, sed etiam terram, quæ ipsum Aceti acidum constituebat, continere, ex inde patet, quod sub destillatione tartari verum transtillet acidum, sed à vappæ sedimento destillato, ne gutta quidem Spiritus acidi obtineatur. Quæcunque Vegetabilia putrefactionis experientia fata, magma deponunt, quod destillatum, plurimum residui pulverulenti relinquit, in quo & acidi resoluti latere terram, suadent fermentationis Vinosæ & Acetosæ fæces, in quibus hanc observari diacrisin monet STAHL. (xx). Fermentationem enim vinosam & acetosam non nisi putrefactionem impeditam esse, vix hodie dubitant saniores Chimici.

E §. IX. & X. veritas sequentis patet propositionis : *Ex omni adhuc cognito acido, terra separari & ipsis sensibus manifesta reddi potest.*

## §. XI.

Ejus aqua. Omnia acida si pura sunt, sub forma apparent fluida, docente quotidiana experientia, assentientibus omnibus Chemicis, quibus etiam receptum est, illud, quod principium terreum in statum fluidum cogit, *Aquam* appellare. conf. BECHER. (yy) et RESPUR. (zz). Acida concentrata, hoc

---

(xx) Spec. Becher. P. I. S. II. Membr. VI. Thes. VI. n. 41. (yy) Phys. Subterr. L. I. S. I. C. IV. (zz) Mineral. Geist, L. I. C. IV.



hoc est à superflua liberata aqua, hac affusa, bullas formant, magnoque excitato intestino motu, se cum illa uniunt: id quod à vi attrahente partium aquearum oriri, inde patet, quod eadem acida, largiore aquæ copia diluta, novæ affusæ frigidæ tranquillissime misceantur; nec non è notabili ponderis augmento quod experitur Oleum Vitrioli aëri expositum, cujus una uncia testante NEUMANNO (aaa) unciis tribus & drachmis duabus aquæ aucta est; huc ne etiam Alcalium in aëre deliquium pertinet? In omnibus §. IX. recensitis terræ ex acidis eductæ exemplis simul ex eisdem separata obtinetur aqua. Sequitur ex his tertia propositio:

*Principium Salinum aquam appetit, eamq; sinceram, debitis tractatum instrumentis, sensibus sistit.*

## §. XII.

E tribus §. VIII. IX. X. & XI. demonstratis Ejus compositionibus, facile Compositio sive Essentia principii Salini patet: constat nempe ex aqua & terra arctè inter se nexis; & cum terra & aqua sint vera principia Chemica, ad mixtorum pertinet classẽ. Ex hoc itaque arcto utriusque elementi nexu omnia principii Salini explicari possunt & debent phænomena; & quæcunque circa illud præter dicta duo reperiuntur principia, neutiquam ad ejus essentiam pertinent, & ceu mera accidentia,

C 2

nun-



nunquam ejus definitionem ingredi debent. Nec obstat, me hæc resolutionis eruisse via, utique sapius periculosa, semper secura, si talia nobis offert, quæ sola largitur natura, & quæ artis ope conflare nequeunt; sed nullus hic metui locus, ac si sub ipsa operatione, quæ pro partibus constitutivis subjecti nostri tradidimus corpora, denuò orta sint; terram enim & aquam componere ars nunquam potest: quæcunque sanè dentur materiæ & quibuscunque tententur instrumentis, ne guttam aquæ aut granulum terræ, nisi aut in subjecto aut instrumento latuerit, unquam conficiet peritissimus artifex. Salinum illud, quod aqua è viva elicit calce, Sal ille quem è terra absque fimo fertili obtinuit KULBEL. (bbb) nonne etiam syntheticè principii Salini demonstrant compositionem.

### §. XIII.

Quæ est  
arctissi-  
ma.

Arctissimam esse principii Salini compositionem ex eo patet, quod ( §. XII. ) merum sit mixtum, omnis autem quem mera absolvunt principia, nexus sit arctissimus, partim ob vim attrahentem, qua simplicissima, quæ omnium utique exilissima sunt, reliqua superant corpora (ccc), partim ob usitata instrumenta artis, primordiis non adæquata. Hoc ratiocinium etiam optime ab experien-

---

(bbb) *Diff. quæ nam sit causa fertil. terræ. Thes. XV.*

(ccc) NEWTON *Optic. L. III. Quæst. XXI.*



perientia probatur: difficillime enim principii Salini tollitur nexus, nec ullum hætenus notum est subiectum, quod ejus dissolvere possit compositionem, præter corpora largiore principio phlogistico prædita, in vaporem resoluta & calore mota: tum enim dictum phlogiston, quod terreæ indolis esse, levissimo constat experimento, terrestri adhæret corpusculo, hinc terram inter & aquam æquilibrium tollit, sibi affine, aquæ, caloris ope expansæ, eripit corpusculum & sic totum resolvit mixtum. Hinc patet cur sulphuris aut oleorum ope non nisi concentratissima in terram & aquam resolvi possint acida; aqua enim superflua, ambarum terrarum impedit connubium. Terra, in quam crebriore solutione, sine conspicuo inflammabilis substantiæ accessu, Sal communis reducitur §. X. nonne documentum in illo latitantis principii phlogistici præbet?

Hunc subiecti nostri arctum nexum certa ad Variè proportionem se invicem principiorum proportionem absolvi, nulli dubitamus, sed eam valde variare posse, salta. va principii Salini essentia, quam maxime probabile videtur. Unde enim unum acidum etiam concentratissimum altero levius & debilius est? vix in acido Salis demonstranda & si quæ est sanè exigua principii phlogistici quantitas, illud non solum, hic in causa esse, sed aquearum majorem ad terrestres particulas rationem, hunc effectum edere, suadet; partes terreas etiam aqueas superare



rare posse partes, Alcalia, quæ Salia esse nemo negabit, docent.

## §. XIV.

Qualis sit  
terra?

Cum terra primordialis seu elementaris BECHERO & STAHLIO (*ddd*) nionentibus non sit una, sed triplex; merito quæritur quæ earum cum aqua combinetur, ut inde Salinum constituatur principium? ad quam quæstionem decidendam sequentia inserviant.

Terram quam ex Acido Vitriolico separare licet, in vitrum abire §. IX. monuimus. Nitrum cum metallicis corporibus, Auro & Argento exceptis, fusum, cum eis Scoriam id est vitrum constituit. Ostendam infra, Nitrum è principio Salino determinato & Sale Alcalino constare, sed Sal alcali per se vitrum formare nequit. Acidum Salis cum argento & plumbo in substantiam ficcam, semipellucidam, aliquo modo flexilem abire, quam *Cornu Docimastræ* vocant, notum est. Fuit forsitan tale Vitrum illud quod infelicissimus artifex Tiberio obtulit: de quo DIO CASSIUS (*eee*) sequentia refert:

„ Μέλα δὲ ταῦτα προσελθόντι οἰαυτῷ, καὶ ἐκείαν ποιούμενε, καὶ  
 „ τέλω πολήριόν τι ὑαλῶν καταβαλλόντι, ἡ ἐξεπιένδεις καὶ θλα-  
 „ σθέν πως, ἢ συνλειτουργοῦντα ἡ χερσὶ διαλείψαντι καὶ ἄθραυστον  
 „ ὡς χρῆμα ἀποφάναντι, ὡς καὶ συγγνώμης, διὰ τὸ  
 „ λευξομένε, καὶ ἀπέκλεινεν αὐτόν. *Atque is rursus ad Prin-*  
 „ *cipem accedens, supplexque factus, vitreum poculum*  
 „ *consulto abjecit, fractumque manibus rursus refecit,*  
 „ *sperans*

---

(*ddd*) *passim.* (*eee*) *Libr. LVIII. p. 708. ed. HENR. STEPH.*



„ sperans eo se veniam impetraturum, verum necari ob  
 „ id iussus est (fff). Pulverulenta illa substantia  
 quam destillata relinquunt putrefacta, etiam in vi-  
 trum confluere, testatur HENCKELIUS (ggg).  
 Cum itaque memoratas terras è principio Salino  
 separatas, in vitra abire videamus, terra princi-  
 pium nostrum constituens, prima BECHERI esse  
 videtur.

### §. XV.

Cum aqua elementaris sit unica, nec diversæ Quæ a-  
 ejus reperiantur species: (bbb) cujus indolis sit al- qua?  
 terum subjecti nostri principium, ulteriorem omit-  
 to disquisitionem, cum ex dictis clara & distincta  
 pateat principii Salini compositionis idea; quod  
 nempe arctissimo terræ vitrescibilis cum aqua ele-  
 mentari nexu absolvatur. Cur HOMBERGIUS (iii)  
 & HIAERNE (kkk) sulphur seu principium inflam-  
 mabile hic concurrere, velint? non video; mi-  
 ror egregios Viros latuisse, quantum acidum Vi-  
 tricolicum, superveniente inflammabili principio  
 mutetur: id quod experimento in ipsis Empi-  
 ricorum officinis nimis communi discere potu-  
 issent.

### §. XVI.

---

(fff) confer. PLINIUS *Histor. Natur.* L. XXXVI. Cap. 26.

(ggg) *Flor. Saturniz.* Cap. XI. (bbb) BOERHAVE  
*Elem. Chem. T. I. de Aqua.* HENCKEL l. c. Cap. IV.

(iii) *Acad. Reg. Sc.* 1702. (kkk) *Act. Chymic.*  
 Cap. VIII.



§. XVI.

Ad alteram partem transit.

Postquam in superioribus ea acidorum recensuimus phænomena, quibus inter se conveniunt, & inde essentiam principii Salini deduximus; nunc *quomodo à se invicem differant* examinemus, & subjecti nostri alterationes & pro diversis constituendis acidorum speciebus determinationes videamus: præcipuè illas singulorum tradituri qualitates, quæ planiorem nobis viam sternunt, ad eorum investigandum ex uno fonte ortum: reliquas huc non pertinentes aut §§. superioribus jam memoratas omitturi.

§. XVII.

Relationes acidum Vitriolici.

Acidum Vitriolicum, 1) reliquorum est fortissimum, ea è quibuscunque eorum expellit nexibus, in eisque soluta præcipitat corpora, nisi in quibusdam peculiaris solventis & soluti obstet affinitas. 2) Pes cubicus Parisinus Acidi Vitriolici grossos septem & quinquaginta novem ponderat grana (III) 3) Acidum ad aquam in oleo Vitrioli est ut 1:  $1\frac{1}{2}$ . proxime (mmm). 4) Multo fortio-rem Ignem ad sui destillationem, quam reliqua requirit acida 5) Solvit omnia metalla excepto Auro

(III) confer. EISENSCHMID *de pond. & mensuris*; ubi & reliquorum acidorum reperies gravitatem specificam (mmm) HOMBERG *Ac. Reg. sc.* 1699. unde & cæterorum desumptæ sunt rationes.



Auro, quod tamen etiam partibus terrestribus tenuissimis & phlogisticis acuaturn, resolvit. 6) Metalla aut metallica corpora, quæ, crude applicatum, vix aut non aggreditur, è menstruo nitroso præcipitat & secum unit. 7) Calces ferri & cupri, sive hæc metalla principio Inflammabili orbata, multo facilius quam integra absorbet. 8) Corpora quibus cohæret fixiora & fusioni magis resistentia reddit. 9) Ipsum volatilissimum Arsenicum figit & fusioni aptat (*nnn*). 10) Quæ è solutione nitrosa aut Salina præcipitavit Metalla, volatilia reddit. 11) Terræ Salis communis aut Boracis adhærens, constituit Salia facillime tam in aqua quam Igne liquescentia. 12) Cum Boracis quadam parte in flores in Alcohole solubiles non vitrescibiles sublimatur. 13) Omnium fortissime adhæret Sali Alkali fixo, quem alias levi igne fundendum & facillime aqua solvendum, ita immutat, ut non nisi certis encheiresibus inde separari, nullo igne in fluxum redigi, nec nisi bulliente aqua solvi possit. 14) Si acido nostro principium phlogisticum levissime adhæret, nullam inde, præter coloris in nigredinem conversionem, patitur mutationem. 15) Si idem phlogiston in halitus resolutum & sic magis reclusum, pauciore quantitate subjectum nostrum subit, miras inde expectatur mutationes:  $\alpha$ ) è fixiore fit volatile:  $\beta$ ) quod antea vix nares feriebat, nunc fortissimo

D fimo



fimo foetet sulphureo odore: 2) quod olim in Aëre augebatur, nunc in eodem minuitur: 3) Corrosivorum summum, mitis linguam leniter afficiens fit spiritus: 4) Acidum nobis notorum fortissimum, mineralium evadit debilissimum. Principium inflammabile in Spiritu Vitrioli volatili non mixtionem, sed aggregationem acidi subiisse, patet ex eo, quod resolutio in vapores non mixtionem, sed aggregationem recludat, & quod libero accedente Aëre, Spiritus hic pristinam recuperet fixitatem, odorem, aquæ amorem, corrosivitatem & virtutem. 16) Eodem ut N. 15. resoluta acido nostro, five largiori quantitate substantia inflammabilis jungatur, five ejusdem concentratissimi, subeat aggregatum, illud in corpus siccum, aquæ connubium respuens, inodorum, insipidum, inflammabile, quod Sulphur vocant, redigit. 17) Solvit terras tam calcarias quam vitrescibiles. 18) Ejus versus balsama nativa & olea relationes vide apud HOFFMANNUM (000). 19) Ubique ferè in minerali regno reperitur, nunquam purum sed semper terrâ quadam ligatum 20) Paratur destillationis ope è Sulphure, Vitriolis, Alumine &c.

Ex his sequentia notemus *Corollaria*:

1. Acidum vitriolicum est principium Salinum non alteratum, purum.
2. Corpora quæ solvit, præcipuè ratione principii terrestris aggreditur.
3. Cum vitrescentibus magna ei est affinitas.

Cum



4. Terram vitrescentem largitur corporibus quibus jungitur.

5. Summi sunt principii Inflammabilis in acidum nostrum effectus.

6. Vis ejus figens valde limitari & mutari potest.

7. Catholici encomium præ reliquis meretur.

### §. XVIII.

Acidum Nitrosum 1) debilius est vitriolico, for- Acidi ni-  
tius omni reliquo acido: ab illo separatur a cohæ- trofi.  
sione cum aliis corporibus, hoc ab eis separat; nisi  
ut §. XVII. monuimus, peculiaris obstat affinitas.  
2) Pes ejus cubicus Parisinus grossorum sex & vi-  
ginti quatuor granorum pondus æquat. 3) Aci-  
dum ad aquam in Spiritu nitri est ut 1: 3. proxi-  
me. 4) Acido vitriolico puro destillatum, acce-  
dente Aere, etiam longissimo post destillationem  
temporis intervallo, copiosissimos emittit fumos.  
5) Rubedo hujus acidi fumis propria. Quomodo  
albi evadant, docet HELLOT. (ppp). 6) Cum arseni-  
co expulsum cyaneum aut viridem sistit colorem,  
accedente aere evanescentem. 7) Solvit omnia  
metalla & metallica corpora, auro, regulo anti-  
monii & stanno excepto, secedente sub his solu-  
tionibus Spiritu subtilissimo, rubro, eximiè elasti-  
co, in alcalium solutione non observando 8) E  
metallicis corporibus & metallis præcipuè illis quæ  
copioso gaudent inflammabili, hoc extrahit, se-  
cum

D 2



cum jungit & arti tinctoriæ aptius evadit; hinc oriuntur die Gradier: Wasser. 9) Calces ferri & cupri exustas planè non aggreditur. 10) A metallicis corporibus, multo inflammabili scatentibus principio, summe volatile fit. 11) Iisdem adhærens accedente calore in fulmen erumpit. 12) Ferrum observante STAHLIO (qqq), aurum, argentum & zincum: monente, quo egregio Præceptore me olim fruitum esse, inter præcipua quibus à divina Providentia beatus sum bona, gratissime pono, Cel. MARGRAFFIO (rrr) ita disponit, ut ab alcali tota dissolvantur. 13) Mercurium figit. 14) Camphoram in Oleum redigit. 15) Alcali junctum, cum omnibus inflammabilibus, igne motum, ignitur, inflammatur, intensissimo agitur motu, *Detonare* dicunt, omnia metalla & metallica corpora, auro & argento exceptis, destruit, & sub scoriarum forma soluta tenet; hinc eximios in nobiliorum metallorum depuratione & restituenda ductilitate præstat usus. 16) Quos circa varia Olea essentialia dat effectus, docent HOFFMANNUS (sss) & GEOFFROY. 17) Sulphur, resinas, bitumina, carbones, ligna, ceram, gelatinas, terras vitrescentes & vitra non solvit. 18) Ex nullo alio corpore, quam è nitro obtinetur; è quo elicitur a) solius ignis ope, b) mediante acido vitriolico, sive puro, sive terris adhærente.

Ad

---

(qqq) *Opuscul. Chymic. Phys.* singulari dissertat. (rrr) *Ac. Reg. Scient. Berol.* 1745. (sss) *Obs. Phys. Chym.* L. I. Obs. X. (ttt) *Ac. Reg. Sc.* 1726.



Ad scopum nostrum è dictis hæc elicimus *Corollaria*.

1. Acidum Nitrosum formatur à principio Salino alterato.

2. Terra secunda BECHERI mixtionem ejus ingreditur.

3. Hujus ad motum ab igne recipiendum proclivitas causa est facilioris acidi nostri destructionis.

4. Partes aqueæ hic majorem ad terrestres rationem habent, quam in vitriolico.

5. Sola principii phlogistici ad terreum adhæsiō mixtum Salinum non solvit.

6. Acidum nostrum etiam in aggregationem suam recipere potest phlogisticas partes, nec inde destruitur.

7. Terram mercurialem figit.

8. Metalla & metallica ratione partis inflammabilis aggreditur.

9. Eximius ejus in principio inflammabili prædita corpora nifus ab acido vitriolico & oleis eluditur.

10. Terræ primæ vires à secunda obtundi possunt.

## §. XIX.

Acidum Salis communis, 1) Nitroso & Vitriolico debilius est, & ab his è nexu cum aliis corporibus. Acidi Salis.



ribus expellitur, nisi specifica quædam Salis communis cum dictis corporibus consanguinitas obstet. 2) Ejus pes cubicus Parisinus, ponderat grossos quinque, grana quadraginta novem. 3) Ratio acidi ad aquam in Spiritu Salis est, ut, 1 : 7 proxime. 4) Solvit, argentum, plumbum, ferrum, cuprum, stannum, mercurium & reliqua metallica corpora. 5) Quæ solvit solida metalla & metallica, levi igne fusibilia, omnia volatilia reddit. 6) Argentum, plumbum, mercurium & bismutum è solutione nitrosa præcipitat, & maxime duo priora, ultimum vix, sublimationi aptat. 7) Cuprum à quo acidum hoc abstractum est, inflammabile fit. 8) Cupro, ferro aut calci adhærens, Salia in alcohole solubilia format. 9) Bismutum & zincum à Spiritu Salis soluta, acidum Vitriolicum non præcipitat. 10) E zinco separat flocculos nigros, quos POTT. (vvv) pro parte inflammabili zinci habet. 11) Calces antimonii cum mercurio sublimato nullum fundunt butyrum. 12) Eximia illa ferri Volatilisatio cujus mentionem facit BOLDUC (xxx) est ne acido Nitri aut Salis adscribenda? 13) Mercurium digestionis aut coctionis ope non solvit, sed ambo fluida in halitus resoluta, se contingentia, siccum constituunt corpus. 14) Propria est ejus fumis albedo crassa. 15) Acidum nostrum convertitur in nitrosum chalybis & zinci ope



ope (yyy). 16) Sulphur & terras vitrescentes non aggreditur. 17) E Sale Ammoniaco, urina, cineribus & plumbo, nec non è Sale Tartari, Sale communi & Tartaro hepar sulphuris obtinuit HENCKELIUS (222). 18) Arsenico armatum quæcunque solvit & volatilia reddit metalla (aaaa). 19) Id acido nostro proprium est, ut debita encheiresi in urinosum abeat. 20) Obtinetur è Sale communi aut ammoniaco nec non è quibsdam Salibus thermarum, a) solo igne, b) acido vitriolico, nitroso.

Hinc patet:

1. In acido Salis principium Salinum adhuc magis quam in nitroso alteratum esse.
2. In acido nostro rationem partium aquearum illam quæ in antecedente observatur, superare.
3. Mixtionem ejus terram mercurialem subire.<sup>1</sup>
4. Ab hac terra præcipuè ejus volatilisationes pendere.
5. Valde probabile esse, ejus in compositione etiam aliquid terræ secundæ hære.
6. Si principium mercuriale ei eripitur & phlogistici augetur portio, in acidum nitrosum transire.

Si

---

(yyy) STAHL von Salzen pag. 187. POTT. de Sale comm. p. 58. et Miscell. Berol. T. VII. p. 300. (222) Flor. Saturniz. Cap. VI. p. 269. (aaaa) KÜHNST. de menstruo metallorum univers.



7. Terram tertiam si offendit corpora quibuscum majorem affinitatem quam cum principio Salino habet, ea subire, & hoc modo Acidum Salis in Acidum Vitrioli mutari.

8. Aggregatum acidi Salis, illo reliquorum multo firmitus esse.

9. Falso acidum nostrum ab aliquibus pro Catholico haberi.

10. Si ullum acidorum, hoc sanè in metallum transformationi aptum esse.

11. Terram tertiam, primam obtundere posse.

## §. XX.

Acidi Vegetabilis.

Devolvimur tandem ad Acidum Vegetabile, quod 1) reliquorum acidorum est debilissimum, eisque quibus cohæret corpora facile largitur. 2) Ratio acidi ad Aquam in aceto destillato est, ut 1: 27. proxime 3) Pes ejus cubicus Parisinus quinque grossos & quindecim ponderat grana 4) Solvit plumbum, cuprum, ferrum, regulum, zincum & wismuthum. 5) A cupro, ferro & plumbo abstractum flammam concipit. 6) Partes animales etiam solvit. 7) Terras vitrescentes non attingit. 8) Quod semel fermentationis subiit motum, postea, nisi Alcohol contineat, destruitur. 9) Quo magis concentratur eo flaviore & bruniore tingitur colore. 10) Inspissatum semper nigrum colorem & foetidissimum exhibet empyreumaticum odorem



odorem. 11) Quæ soluta tenet corpora, sub salina forma in Alcohole solubilia reddit. 12) Ab alcali fixo abstractum verum largitur oleum. 13) Cum alcali urinoso in fluidam abit formam. 14) Si ignis ope, aggregato acidi copiosissime cohærens principium inflammabile, in vehementissimum deducitur motum, ejus recluditur mixtio, particulae terreæ cum particula aquea solvitur nexus, è toto mixto resoluta, multa essentialis evaporat aqua, hinc nimis diu protracto igne totum in terram abit, hoc autem justè moderato, exsurgit substantia tota ferè terreæ, paucissimum aquæ in mixtione sua retinens, in igne fixa, illis acidorum planè contrarios plures edens effectus, quæ *Sal Alkali fixus* audit, & cum acidis in *Salia media* concrevit. 15) Si igne aut putrefactione acidum resolvitur, resolutoque eadem quæ numero antecedente dixi, accidunt, mixtioni novæ autem oleosæ adhærent partes, Sal levi igne avolans oritur, qui *Sal Alkali urinosus* appellatur & cum acidis *Salia* sic dicta *Ammoniacalia* constituit. 16) Acidum nostrum, in omni quod natura largitur vegetabili reperitur, è quo obtinetur, si quocunque demum modo a nimis partibus mucilaginosi, oleosi &c. liberatur. 17) Mediantibus vegetabilibus, ipsam ingreditur animalium machinam, in quorum sanguine & urina vix non semper reperitur (*bbbb*).

E

Dicta



Dicta sequentia largiuntur *Corollaria*:

1. Acidum Vegetabile formatur principio Salino valde alterato.
2. Aquæ partes multum in nostro acido terrestres superant, hocque terræ mercurialis pauxillum, plus terræ inflammabilis continet.
3. Semper verum Oleum in aggregato suo involvit.
4. Alcalia & acida valde sibi invicem affinia sunt.
5. Acidum Animale vix a vegetabili differt.

§. XXI.

Ortus acidi Vitriolici.

His quatuor præcipuorum acidorum propriis qualitatibus præmissis, nunc ortum diversarum specierum principii Salini clarius exponere licet, & simul evidentiora fiunt quæ §. VII. de principio Salino universali monui. Omnia nempe quæcunque habemus Salia, ab uno eodemque formantur principio, quod universale acidum varie modificatur & diversas quas habemus Salium species constituit, quæ nunc acida, nunc alcalina, nunc urinosa, nunc ammoniacalia, nunc media appellantur. Acidum hoc universale, verum, purius, id quod vulgo è Vitriolo paratur, esse §. XVII. ostendi; illud autem acidum aëreum appellare non audeo, cum partim quomodo diu in aëre integrum servari possit non videam: partim Aër præter illud & acidum nitrosum, Salis communis, vegeta-



vegetabile imò Alcalia volatilia & Salia ammoniacalia vehere, clarissime ostendant, innumera illa effluvia quæ è substantiis putrescentibus, copiosissimis Salinis, vegetabilibus denique & animalibus combustis, omni horæ momento aëra subeunt; nec omni probabilitate destituitur illorum conjectura, qui putant, si dictorum Salium quoddam postquam vix aërem subiit, nec in illo contentorum corpusculorum adhuc expertum est actionem, offendat siccam substantiam, sibi affinem, illi adhærere & hoc modo Aëri eripi. Interim hæc hypothesis communi Salium ortui explicando nequaquam sufficit & gravissimis premitur difficultatibus: quid enim vetat quin acidum e. g. nitri terram Salis communis, aut alcali fixum aëri expositum offendat & se cum eis jungat? sed nitrum cubicum nativum aut nitrum regeneratum ex alcali fixo aëri exposito nemo unquam vidit; exiguum porro temporis requiritur momentum, ut acida sub vaporum forma, hinc valde attenuata in aëre hærentia, mox dicendas subeant mutationes: hinc, si quæ sit, hoc modo Salium genesis, rarissima sanè est; eamque potius communissime sequenti contingere modo, vero valde simile videtur.

Demonstravi in §. XIII. principium phlogisticum in motu fortiore constitutum acidorum resolvere mixtionem; pone nunc vaporem acidum aërem subiisse, offendit ibi copiosissimas par-



tes inflammabiles ( de quarum in aëre abundantia nemo sanè dubitabit, ) cum quibus, cum aër moveatur, in omnibus suis partibus agitatione perpetua ( cccc ) continuò committetur, collidetur, in sua principia resolvetur; hinc semper plures in aëre hærere partes terrestres, ad mixtionem Salinam obeundam peridoneas, interposita undique expansa aqua à concretione defensas, patet. Terræ hæ tenuissimæ, ad mixtionem Salinam proximæ, si aëris ope alcali fixum offendunt, hoc aquæ cupidissimum, aquam sibi associat, hinc partes terrestres magis coeunt, tantum aquæ, quantum ad formandum acidum requiritur, includunt & purum gignunt hoc modo principium Salinum, quod cum aëris volumini, & hinc continuæ cum particulis phlogisticis collisioni ereptum sit, ulterius non destruitur, sed alcali fixo, cujus partibus terrestribus, ut inde in acidum figurentur, non satis attenuatis, non sufficit reliqua aqua, adhæret & tartarum format vitriolatum, è quo illud separare immortali docente STAHLIO, nunc novere Artifices ( dddd ). Hæ partes terrestres eodem, quo alcali fixum subeunt modo, lapidem calaminarem ustum, & hinc aquæ avidissimum intrant, partes ejus martiales, zinceas, limosas solvunt, ut elixivatione Vitriolum aut Alumen largiatur.

Alumi-

---

( cccc ) BOERHAVE *El. Chem. P. I. de igne Exper. III. Coroll. 5.* ( dddd ) confer. AUTOR *Notar. in Stahl. Zymotechn. p. 177.*



Aluminis è reliquis mineris non pyritosis ortus (eeee) nec non ejus terræ elixivatae nova imprægnatio (ffff) etiam ex dictis patent.

§. XXII.

Eadem in Aëre obvolitantia terrestria mox Salina corpuscula, si putrescentia sive animalia sive vegetabilia subeunt corpora, è quibus copiosum semper exhalare φλογισόν, præter eorum foetorem, demonstrant putrefactionis subjecta & effecta, inflammabile, quod, cum motus putrefactorius, quia sub eo substantia inflammabilis, pluribus gravata partibus, magis terrestribus, non tantum concipit motum, ut expulso principio aqueo integra tollatur Salina mixtio, eo mox evaporando adhæret, utraque terra sub putrefactione orto infigitur alcali urinoso, & cum eo Salem ammoniacalem format, nonnisi addito alcali fixo & inde separato urinoso in illam substantiam, quam Nitrum vocamus formandam. Nitrum sanè non in Aëre sed demum in debite resolutis corporibus oriri, docet MARIOTTI experimentum (gggg) qui è terra è qua omne elutriatum fuit nitrum, in domus summo per duos annos exposita, ne granum quidem nitri obtinuit.

E 3

Calcem

---

(eeee) CRAMER *El. Docimasf. P. I. §. 456. seq.* HENCKEL *Pyrit. Cap. XII. p. 674.* (ffff) HOFFMANN *Obs. Phys. Chym. L. III. Obs. VIII. (gggg) Ac. Reg. Sc. 1717.*



Calcem vivam animalia recludere, ut Salem urinosum largiantur, norunt Chymici, eandem cum Sale communi Spiritum urinosum formare, testatur POTT. (*bbbb*) ad quem effectum utique copiosum in calce latitans phlogiston, è calcis ope aucta alcalium causticitate, ex ejus destillatione obtenti liquoris empyreumate, ex ejus Salis deliquio flavo (*iiii*) manifestum, plurimum conferre suadent §. XX. observata; acidum Salis accedente copioso phlogisto & principio mercuriali ablato, in nitrosum abire, patet è §. XIX; quæ corpora acido Salino, terram tertiam eripiant, ibidem indicavimus. Ex his quid de Salis communis in Nitrum conversione sperandum & circa illam observandum sit, colligant harum rerum curiosi.

Sub calcis vivæ cum arena subactione, ad inde formandum cæmentum murorum, magnam partes inter calcareas, aqueas & arenosas fieri actionem & reactionem, quotidie in cæmentariorum officinis videre est: sub hoc continuo partium inflammabilium cum subtilissimis terreis motu, urinosum quid gigni, facile suspicabuntur chymicarum operationum gnari, id quod & ipse circa hæc spirans testatur odor. Hoc urinosum copiosissima terra obrutum in exsiccatum, (sub ipsa exsiccatione auctum) latitat cæmento, alcali fixi ope ibi detegendum (*kkkk*), terreæ Salinæ partes ab Aëre  
muros

---

(*bbbb*) de Sale pag. 32. (*iiii*) DU FAY Acad. Reg. Sc. 1740. (*kkkk*) PETIT H. Ac. Reg. Sc. 1734.



muros lambente eo delatæ, urinoso sibi affini in-  
hærent, cum eoque Salem ammoniacalem nitrosum  
constituunt, qui pluviarum aut cujuscunque  
humiditatis ope inde extractus, hac dissipata, pa-  
rietibus adhæret & sic dictum *nitrum murarium* con-  
stituit; cujus proventus utique si stramina & li-  
mum utraque ad putrefactionem aptissima, cæmen-  
to mista sunt, eximie augetur.

Aphronitri ortum, putrescentibus quibuscun-  
que aquarum ope, per rimas fissuras aut alios hi-  
atus cavernas aut alia subterranea loca fubeuntibus  
& aëre quo dictum est modo, imprægnatis debe-  
ri, verò quam simillimum est.

### §. XXIII.

Cum Sal communis supra terram ex Aëre ge- Salis com-  
nerari vix observetur, nec nisi circa præparati- munis.  
onem nitri occurrat, ejus geneseos ratio huc non  
pertinet. Reperiretur ne etiam si nitrum non nisi è  
putrefactis pararetur Sale non inquinatis Vegeta-  
bilibus? Testatur sanè BOERHAVE (III) in urinæ  
putrefactæ residuo copiosum reperiri Salem mari-  
num; cum itaque vix non semper lotio conspur-  
catæ sint terræ, è quibus vulgo excoquitur nitrum,  
Salis communis apud illud semper observandi  
facile explicari posset ortus. Favet huic conjectu-  
ræ Nitrum Indicum, quod è nigra terra paratum,  
statim

---

( III ) *El. Chem. P. II. Process. XCV. ex Cap. I.*



statim sub prima elixivatione Salis communis totum expers esse, testatur THEVENOTIUS (*mmmm*).

§. XXIV.

Acidi vegetabilis.

Particulæ terrestres è principio Salino separatæ, ad illud formandum pronissimæ, cum aëre à plantis resorptæ (*nnnn*) aut roris seu pluviae ope terræ cortici commissæ & una cum liquore plantam nutrituro, tubulos radicis ingressæ, offendunt ibi succum illum, cujus debito circuitu, plantæ absolvi-  
tur vita, quemque partibus aqueis & mucilaginos-  
is constare, quotidianis docemur experimentis, eum subeuntes aëris eripiuntur volumini & cum aqueis coire nituntur particulis, cui nisi mucilaginosæ resistunt partes, cum quibus per copiosissima organa pressa, perpetuo colliduntur, committuntur, atteruntur & hinc principii phlogistici actioni exponuntur: quæ tamen cum dicta substantia inflammabilis, in texto mucilaginoso multa ligata sit crassiore terra, & principium aqueum expandi nequeat, tanta non est, ut mixtum Salinum destruere possit, sed tamen, oleosi cum Salina aggregatione cohæsioni sufficit; hinc acidi vegetabilis debilitas, eximia volatilitas & ad statum nitrosum proclivitas deducenda esse videntur.

Acidum animale.

Hoc acidum quod nec vegetabili nec animali orgasmo destrui, benè autem obvolvi & ita parti-  
bus

---

(*mmmm*) *Itiner. P. II.* (*nnnn*) confer. H A L E S *Veget. Stat. passim, maxime Experim. CXXII.*



lus pinguibus, oleosis, mucilaginosus obduci potest, ut effectus acidorum edere nequeat, animalia subit & sic animalium constituit acidum, cujus existentiam post HOMBERGIUM (oooo) demonstravit POTTIUS (pppp). Unde autem Sal communis qui testante eodem Celeberrimo Viro etiam ex animalibus nullo Sale vescentibus obtinetur, oriatur ego decidere non ausim, certissimum illum non in aëre formari, nec ei generando sufficere Oeconomiam animalem; illum autem in omnibus hærere vegetabilibus statuere, idem est ac omni experientiae contradicere: experimenta denique desumpta esse ex animalibus, plantis apertè Salinis pastis, neutiquam suspicandum est: nodum enim, hac discindere machæra vetat, quam tanto Viro debemus reverentia. Exerceant hic suas vires, quibus de meliore luto finxit præcordia Titan.

§. XXV.

Quomodo supra terram principium Salinum Acidorum generetur, modificetur & naturæ subeat regnum haecenus quantum licuit exposui; cum autem acidum vitriolicum & Salis communis, præcipuè subterraneis obtineantur corporibus, quomodo in terræ visceribus generentur duo hæc acida paucis inquiramus.

F

§. XXVI.

---

(oooo) *Ac. Reg. Sc.* 1712. (pppp) *Miscell. Berol. T. VI, p. 16.*  
 (qqqq) *de Sale communi p. 2.*



§. XXVI.

Acidi Vi-  
triolici.

Vix ullum reperitur fossilium individuū, tam copiose sub terra, quam Sulphur, quod tamen rarissime nativum, sed semper ferè aliis fossilibus inhærens offendimus, hoc totum ferè acido Vitriolico formari demonstrat Chemia (rrrr); idem præcipuè, in pyrite copiosissimo subterranei regni cive hospitare, ostendit HENCKELIUS (ssss) cujus subflavi & flavi si quacunque demum è causa id fiat, textum durissimum, solidissimum, splendens resolvitur & in substantiam, friabilem, pulverulentum, omnis metallici splendoris expertem redigitur; ex inde aquæ ope, omne quod ad vulgares usus adhibemus vitriolum conficitur; quorum viride, è pyritis subflavis, cœruleum è flavis, mixtum è mixtis, album è mixtis zinco inquinatis oritur: si resolutos hos pyrites, subterraneæ aquæ alluunt, postea sub dium erumpentes (zu Tag ausbrechende Gruben Wasser) acidulæ & thermæ martiales ex surgunt; si eadem marcasitaceæ aquæ sub terra caloris, subterranei ope, evaporantur, Vitriola nativa constituunt; quæ si sub forma ramentorum, partibus terrestribus ita includuntur ut sub calculorum friabilium larva appareant, Lapidum Atramentariorum veniunt nomine; dictæ aquæ strata argillosa, lutosa perfluentes, terram metallicam

---

(rrrr) NEUMANN *Prael. Chym.* 1781. (ssss) *Pyritol.* passim.



licam dimittunt , eas tingunt , & ipsum vitriolum in tota earum distribuunt compage, inde terrarum rubrarum patet ortus & ad eliciendos Nitri & Salis Spiritus usus: rivorum Subterraneorum vim non experti resoluti pyrites, fata mineralium sub terra destructorum sequuntur, id est, sub vaporum forma, aerem subterraneum subeunt, in eo contentorum omnis generis corpusculorum, experiuntur vim, hinc & eorum acidi resolvitur mixtio; resolutæ terreæ particulæ, una cum paucissimis aqueis opportunam offendentes matricem, eam subeunt, copiosissimi in subterraneo aëte principii phlogistici quid in suam recipiunt aggregationem, quod cum paucissimæ in dicto aggregato hæreant aqueæ partes, siccam novo mixto inducit formam; hoc modo de novo generatur Sulphur; quod ad ferri seu cupri formationem aptis occurrens vaporibus, ipsum ad eos recipiendos debite dispositum, novos pyrites, novas vitrioli constituit mineras. Dictæ particulæ terrestres cum principio inflammabili nuptæ, si in mixtionem suam copiosiores aqueas recipiunt partes Bitumina, petrolea, Naphtas succina &c. producant; quæ matriæ terrestri, sulphureæ inclusæ Lithanthraces, mineras, quasdam Aluminosas, Asphalta &c. gignunt. Principii Salini sub terra resoluta denique terreæ clementa, si Salis marini infiguntur alcalino corpori, certum quoddam Salium catharticum genus quod a LISTERO (tttt) *nitrum calcarium* appellatur



tur constituunt, hoc ab affluentibus solutum aquis, peculiare fontium mineralium format genus; quo Aquæ Epsomenses, Sedlicenses &c. referendæ.

§. XXVII.

Salis communis.

Triplici modo Salem communem è terræ gremio obtinemus 1) è fontibus variis qui propriè Salinarum nomine veniunt 2) ex Oceano seu in genti illa aquarum copia, quæ globum nostrum terraqueum ambit & vulgo Mare appellatur 3) è fodinis, in quibus maximæ ejus reperiuntur moles, ita ut montium interiora è meris constructa videantur, Salinis parietibus (vvvv). Fontes falsos Salem suum sive è mari sive è fodinis hausisse, ostendunt HOFFMANN (xxxx) & HENCKEL (yyyy). Hinc nunc inquirendum quomodo idem Oceanum subeat? plurimum Salis marini, fossili originem debere clare exinde patet, quod testante MARSIGLIO (zzzz) Salis gemmæ venæ, ad maris fundum usque pertingant, quem, cum mare semper alluat, ab illo solvi nemo dubitabit: nec tamen solum Marinum sed & reliqua in Oceano hospitari acida, Eruditorum demonstrant experimenta. Acidum sanè Nitri ibidem occurrere facile exinde patet quod Spiritus Salis marini, Aurum solvat, id quod

---

(vvvv) Conf. MARSIGLI *Danub. Panonic. Mysic. T. III. P. IV.*  
 RZACZYNSKI *Hist. nat. Pol. Tract. I. Sect. IV.* BRUCKMANN  
*Magnal. Dei T. II. Cap. XIII.* (xxxxx) *Opusc. Phys. Med.*  
*T. I. C. IV.* (yyyy) *flor. Saturniz. Cap. VI.* (zzzz) *Hist.*  
*Maris P. I. p. 10.*



quod sincerum acidum Salis nequaquam præstare abunde constat: cum etiam innumera in Mari sit, putrescentium cujuscunque generis copia, & in eo Salem urinosum latitare posse nemo dubitabit, hunc si resolutæ è principio Salino subeunt terreæ particulæ, cum eo § XXII. dicto modo Salem ammoniacalem nitrosum constituunt, quem facile cum Sale communicare, citato monuimus paragrapho; nec è mari exulare ipsum acidum vitriolicum, demonstrant BOLDUCCI circa aquam marinam tentamina; qui semper ex ea post Salem marinum, catharticum quendam Sali Epsomenfi similem obtineri monet (aaaaa): hunc à bitumine & bituminosis concretis in maris fundo copiose reperiundis (bbbbbb) à mari solutis, eorum principio Salino destructo, particulisque ejus terreis, terræ Salis propriæ impactis, derivare nullus dubito; huc & ex acido Salis liberatas terras aliquid conferre probabile est.

Salem fossilem denique de novo gigni analogiæ mineralium valde accomodatum, & à GRASSIO (ccccc) & THURNEISERO attestatum est (ddddd). Calore acidum Salis destrui, supra monui, hinc & multum ejus sub terra idem experiri nullum est dubium; hoc destructum acidum, iterum terræ suæ adhærere, & fossilem Salem constituere

F 3 etiam

---

(aaaaa) Acad. Reg. Sc. 1731. (bbbbbb) testante MARSIGLIO l. c. (ccccc) Miscell. Natur. Curios. Dec. II. Anno IV. Obs. XXIII. (ddddd) von Falten / warmen u. Wasserren, L. V. Cap. XXXIX.



etiam facile liquet. Quomodo autem proprie acidi primigenii alteretur in naturæ officina crasis, ut in tale, quale in Sale communi offendimus, abeat acidum, cum illud transformantis mercurialis principii historia, vix etiam à Summis Chemiæ Sanioris sit tacta auctoribus, explicare non audeo, lubentius tacens, quam terminis ne à me quidem intellectis ignorantiae velum subtere, & B. L. fumum vendere. Melior terræ tertiae notitia, pleniorque Salis fodinarum historia, posteris nostris etiam plura circa hæc detegent.

§. XXVIII.

Ufus Me-  
dici.

Hæc de principii Salini essentia, modificatione & vario ortu dixisse sufficiant; paucis adhuc ejus in Corpus humanum effectus, indicandi restant.

§. XXIX.

Acidorum  
minera-  
lium.

Circa medicos acidorum usus, ante omnia notandum; ea, quæ mineralia appellantur, nunquam, nisi copiosissima aqua diluta, aut mitigata artis ope, internè usurpari. Externè autem cum acrium gravissima sint, vasis altius inhærentia, ea ad nimias contractiones sollicitant, destruunt, inde effusa coagulant liquida, Escharoticorum subeunt munia, & in hæmorrhagiis nec non à LITTLE JOHN Medico Anglo, in herniis sine ferro curandis adhibentur (eeeeee). Copiosa diluta aqua sive sub eorum destillatione obtenta phlegmata, intra  
cor-

---

(eeeeee) referente HEISTERO *Inst. Chirurg. P. II, Sect. V. Cap. XIX. §. XI.*



corpus humanum assumpta, & in ventriculum & intestina delata, partium animalium aut reliquorum alimentorum putrescentium, vim ventriculi & canalis intestinalis non debite expertarum, corruptionem alcalinam tollunt, cum eisque in substantiam salisam, fibras intestinales ad sui expulsionem invitantes abeunt: bilem ibidem stagnantem & ex natura sua alcaliscentem (fffff) corrigunt & inde ortos tollunt morbos e. g. cardialgias, anxietates, anorexias, diarrhoeas, dysenterias, choleras, synochas putridas, febres intermittentes &c; dum porro fibras ventriculi irritant & ceu lenissima acria, ad crebriores sollicitant oscitationes, debilitatum eorum restituunt elaterem & hinc summo jure Stomachicis adscribenda sunt: per vasa lactea & reliquas resorbentes venas ad sanguinem delata, ejus ab affusa bili, intensiore motu, suscepto contagio, ad lethalem alcaliscentiam nisum, frangunt, tollunt, humores ad optatam præparant crisin, & tunc utique refrigerantium merentur encomium, dum nimium humorum in his casibus motum temperant & sistunt, hincque caloris præternaturalis tam causas, quam effectus tollunt, unde tanti eorum in febribus ardentibus, synochis putridis, petechizantibus, variolosis & aliis exanthematicis malignis & ipsa peste, in quibus, cum acidum vegetabile humores solvat, dissolutio autem humorum, putredinis effectus sit; vegetabilibus præferenda sunt, perspiciuntur usus

(ggggg)



(ggggg). Leviores orgasmos nonnisi à motu humorum auctiore ortos, non quatenus acida temperare videntur; eorum enim præcipuum sopiens est aqua, dissipatum restaurans fluidum, quæ si Sale sive acido sive medio acuitur, ut in os & totum œsophagum hiantia venarum oscula irritare, & ad copiosorem resorptionem sollicitare possit, refrigerii & restorationis virium mox gratissimum excitat sensum, quem cessante motu muscolari aut aëris æstu suavissima corporis mox excipit temperies. Aqua mineralis pauxillo vini remixta, nequaquam acida, ardente syrio hausta, citissimum sanè corpori largitur refrigerium: acida nostra diluta, cum reliqua humorum massa ad hepar delata, in ejus poris seu ductibus stagnantem & calculis biliariis, ictero, cachexiæ hydro-pi &c. ortum præbentem bilem, modo supra memorato corrigunt & e corpore eliminant: eximius porro est eorum usus in secunda, quarta, quinta & octava BOERHAVII (bbbbbb) venenorum classe, in quibus ulteriori humorum expansioni resistendo, alcali causticum aut volatile saturando, drastica cicurando, veneno animali quod semper alcalinæ indolis est resistendo, exoptatissima evadunt antidota. Quæ vulgo acidis catharticæ, diureticæ & diaphoreticæ adscribuntur vires cum illas eodem ac reliqua Salia exserant modo

(iiii)

---

(ggggg) VAN SWIETEN *Comment. in Boerhave Aphorism. ad §. 88.* (bbbbbb) *Inst. Med. §. 1140. sq.*



(iiii) non moror: denique virtutes lithontripticæ quæ ipsis adscribi solent, nullum in corpore humano invenire possunt locum, cum jam formatum calculum, nonnisi meracius solvat acidum, quale circa præsentissimum gangrænæ periculum nec in renibus nec in vesica locum habere, quivis rerum Medicarum gnarus facile perspicit.

§. XXIX.

Ex quo acidorum mineralium *dulcium* dictorum in Medicina increbuit usus, mira de eorum efficacia plenis cecinerunt buccis novitatis avidi; plenariè ex officinis exulare jubebant, formulis à Præceptoribus acceptis contenti, aut non nisi sua inventa æstimantes Medici; nos quæ ex eorum compositione deduci possint vires, paucissimis explicare studebimus. Primò circa eorum præparationem, num sola digestionem, num destillationem parata sint, magna intercedit differentia, cum priore modo elaborata, parum mitigata sint & communes acidorum mineralium, leviter obtusas, exferant vires. Hinc & eis Chymicus sanè non contemnendus DIPPELIUS Oleum Vitrioli ipsum substituit (kkkkk). Ad hæc pertinet *Aqua Rabelii*, *Elixir Polychrestum cum acido Dippelii*, ejusd. *Tinctura Antinephritica* &c. Destillationis autem ope confecta, utique multum à pristina recedunt corrosiva

Acidorum  
dulcifica-  
torum.

---

(iiii) ARCHIBALD. PITCARN. *Opusc.* p. 168. (kkkkk) teste AUCTORE *Not. ad Christ. Democritum von den Brandenb. u. Arzn. des Menschl. Lebens. C. II. §. IX. p. 160.*



siva qualitate, ita ut vix cum alcalibus effervescent. Eorum præcipua virtus consistit in summa volatilitate, qua proximè ad alcohol accedunt: viginti quatuor enim horarum spatio, in eodem Aëre pluvioso, & frigido, Spiritus nitri dulcis nonaginta, Liquoris anodynii centum & quinque, Alcoholis centum & decem grana dissipata sunt. Sanguini igitur mistorum maxima portio, juxta legem hydraulicam à MICHELOTTO (lllll) stabilitam, à BOERHAVIO & HALLERO (mmmm) uberius explicatam & demonstratam, per Carotides cerebrum petet, corticeque extenso, spirituum influxum, ut in omnes, sic & in dolentes corporis partes minuet & ita hæc remedia vera evadunt Anodyna, & majore copia data Hypnotica. Unde egregius Spirituum nostrorum in illis spasmodum & dolorum speciebus, ubi nimius spirituum influxus morbum excitavit, patet usus; hinc in convulsionibus, epilepsiis, doloribus à quocunque calculo &c. conducunt. Hanc vero ob summam volatilitatem & inde præcipuè in cerebri corticem actionem, merito à POTTIO (nnnnn) in acutis, in quibus semper cerebri vasculorum metuenda est destructio, rejiciuntur.

Cum semper his spiritibus, licet larvata, maneat aciditas, illos alcalescentibus ciborum recrementis aut effusæ resistere bili, patet. Hinc  
exi-

---

(lllll) *Prænot. I. art. 9.* (mmmm) *Inst. Med. §. 224.*  
& ad hunc *Comment. (nnnnn) Exercit. Chymic. p. 174.*



eximia eorum in colica flatulenta & biliosa, cephalalgia stomachica, anxietatibus præcordiorum, singultu & reliquis ab his ortis morbis, elucescit virtus.

Tenacissima iidem dum solvunt resinosa & gummea, citatoque per massam humorum transitu nimis ejus se attrahentes à contactu mutuo dimoveant partes; incidentes, diluentes, stimulant, resolventes eorum resultant vires. Unde eorundem in cachexia, calculosa dispositione, anorexia, lienteria, hydrope &c. perspicitur usus: huc & prædicatæ eorum diureticiæ & diaphoreticiæ pertinent virtutes.

Hæc de acidis mineralibus dulcibus dicta, potissimum acidum vitriolicum & nitrosum spectant; illud enim quod ex acido Salis paratur, semper adhuc acidius & magis corrosivum est.

### §. XXXI.

Acida vegetabilia mineralibus multo leviora & debiliora, tuto internè & externè usurpari possunt. Externè si applicentur nullæ quidem ab iis escharoticiæ aut corrodescentes expectandæ sunt virtutes: cum tamen etiam vasorum adhæreant lateribus, & ea ad fortiores incitent contractiones, adstringentibus & reprimentibus annumeranda sunt: & in levioribus hæmorrhagiis & inflammationibus à causa externa ortis, non spernendos edunt effectus: externè adhuc in gangræna ulteriori ejus progressui resistendo remediorum præcipua sunt. Internè data eadem

Acidorum  
vegetabi-  
lium.



eadem ferè ac acida mineralia diluta præstant; tunc illis præferenda, si peccantia alcalina è corpore eliminanda, aut glutinoso viscido eripienda sunt. Copiosæ enim, quas foyent, oleosis partibus cum alcalinis saponaceum quoddam constituunt, quod nulli cognitorum abstergentium cedit, & egregiè bilis defectum supplet. Maximæ igitur in obstructionibus abdominalibus præcipuè hepatis & inde oriundis innumeris malis sunt acidorum vegetabilium vires.

Cum etiam Acidum vegetabile testante BOERHAVE (00000) cruorem non cogat sed coagulata ejus solvat, patet quantæ sit virtutis, in humorum tenacitate inflammatoria & inde ortis acutissimis febribus. Eadem ejus humores resolvendi vis eximias illas diaphoreticas & diureticas aceto adscriptas multum juvat virtutes.

Quam malè igitur suæ curæ demandatis hominibus Medici acidorum & acidulorum vetant usum! Quam adorandus Creator, solo terræ & aquæ conubio tot in universo, tot in nobis, diversissima inter se producens effecta! Quanta in minimis Natura!

T A N T U M.



# PRÆCIPUOS ERRORES

Typographicos, qui corrigentis  
effugere diligentiam sic corrigat

B. L.

- Pag. 5. l. 17. post inde add. natam conjecturam  
pag. 6. lin. 16. pro calcarii leg. calcarei  
pag. 6. not. (e) pro *L. XI.* leg. *L. II.*  
pag. 7. l. 4. pro *Mundellæ* leg. MUNDELLÆ  
pag. 8. l. 25. pro super leg. super-  
pag. 9. l. 13. pro autor leg. Autor  
pag. 9. l. 18. pro qui leg. qui  
pag. 9. l. 24. pro tia leg. tiæ  
pag. 10. l. 9. pro struxere leg. struebant  
pag. 11. l. 26. pro quotidianis leg. quotidianis  
pag. 13. l. 15. pro massas POTR. leg. massas. POTR  
pag. 13. l. 16. pro appellatur leg. appellat  
pag. 13. l. 27. pro cogit leg. coit  
pag. 14. l. 20. pro amisit leg. amittebat  
pag. 15. l. 14. pro vero leg. porro  
pag. 16. l. 7. pro subduxit leg. subducebat  
pag. 20. l. 17. pro onem. leg. onem?  
pag. 28. l. 5. post principio add. abstractum  
pag. 34. l. 26. pro Aër leg. Aërem  
pag. 37. l. 15. pro hæret leg. hærent  
pag. 37. l. 19. pro formandam leg. formandum  
pag. 39. l. 21. post putrefactæ add. & destillatæ  
pag. 39. Not. (llll) pro *ex Cap. I.* leg. & C. I.



pag. 40. l. 22. post cohæfioni add. efficiendæ  
pag. 40. l. 26. pro orgasmo leg. organismo  
pag. 41. l. 6. post Viro add. (qqqq)  
pag. 42. l. 6. pro pulverulentum leg. pulverulen-  
tam

pag. 43. l. 1. pro eas leg. ea  
pag. 43. l. 2. pro earum leg. eorum  
pag. 43. l. 26. pro resoluta leg. resoluti  
pag. 43. l. 26. pro clementa leg. elementa

